

202. FORMVLAE PRO TRANSLATIONE

translationes in se complectantur, mirum videri debet, quod ex illis haud pateat, virum in omni situ translatu talis detur recta *iz*, quae eandem directionem teneat, quam in situ initiali habuit. Aequatio enim §. 22. inuenta tantopere est implicata, ut nimis molestum foret, loco singularium litterarum valores quos ipsis assignauimus substituere. Interim tamen aliunde certum est, quomodounque corpus rigidum ex uno sita in aliūm transferatur, semper dari eiusmodi rectam *iz*, cuius directio nullam mutationem patiatur. Ad hoc enim demonstrandum concipiamus corpori rigido, cuiuscunque fuerit figurae, sphaeram circumscribi cum ipso conexam simulque mobilem, quae centrum habeat in puncto I, quo facilius istam investigationem ad doctrinam sphaericam traducere liceat.

Theorema.

Quomodounque sphaera circa centrum suum conuertatur, semper assignari potest diameter, cuius directio in situ translato conueniat cum situ initiali.

Demonstratio.

Tab. II. §. 25. Referat circulus A,B,C circulum sphaerae.
Fig. 2. maximum quemcunque, in statu initiali, qui facta translatione peruerterit in statum *a,b,c*, ita ut puncta A, B, C translata sint in puncta *a,b,c*; punctum autem A sit simul intersectio horum duorum circulorum. Quo posito demonstrandum est, semper dari punctum O, quod pari modo referetur tam ad circu-